



Disputatio juridica trigesima de duobus reis

<https://hdl.handle.net/1874/340975>

DISPUTATIO JURIDICA
TRIGESIMA.
DE
DUOBUS REIS.

QVAM
D. O. M. I.
P R Æ S I D E
Viro Clarissimo

D. ANTONIO MATTHÆO, Juris An-
tecessore Primario, in Illustri Acade-
miâ Ultrajectinâ

Publicè defendet

RUMOLDUS van DAM. Ultraject-

Ad diem 1 April. horâ locoque solitis.

May



ULTRAJECTI,

Ex Officina, JOHANNIS à WAESBERGE,
Anno: M. DC. L.

Viro Clarissimo,

D. PETRO van DAM,
I. V. D. & Advocato
Amstelodamensi, Fra-
tri carissimo.

Disputationem hanc Juridicam

L. M. Q. D. D. D.

RUMOLDUS van DAM

Resp.

DISPUTATIO IVRIDICA
TRIGESIMA,
DE DUOBUS REIS.

THESIS I.



Numeravimus species obligationum: adjiciamus nunc accessiones earundem. Hæ vel personarum, vel rerum sunt. Personarum, veluti, duo rei, fidejussio, constitutum. Duo rei sunt duo creditores, quibus singulis solidum debetur: vel duo debitores, qui singuli solidum debent.

I I.

Constituuntur non solum stipulatione, sed & cæteris contractibus, veluti emtione, venditione, locatione, conductione, deposito, commodato; si duo vel plures eandem rem in solidum emant, vendant, locent &c. Sed & testamento fieri possunt duo rei, ut puta, si pluribus institutis heredibus testator dixit, Titius aut Mævius Sempronio decem dato. *l. eandem 9. pr. D. de duob. reis. l. item quaritur 13. §. duo rei D. locat. l. si Titio 16. D. de leg. 2.* Et licet Valla, *de reb. dub. tract. 18. n. 11.* existimet, cæteris contractibus non proprie, sed quodammodo duos reos fieri, sententiam tamen ejus *l. §. ult. D. commod. non satis firmare videtur.*

I I I.

Obligantur etiam in solidum duo exercitores ex contractu magistri sui *l. 1. §. ult. & l. seqq. D. de exerc. act. duo mercatores ex contractu institoris, l. habebat 13. §. ult. & l. seq. D. de instit. act. duo tutores ex administratione tutelæ l. si plures 38. D. de admin. tut. l. 1. §. nunc tractemus & seqq. D. tutel. & ration. distrah. l. 2. C. de divid. tutel. l. 6. C. arb. tutel. duo opus facientes, duo fures, ex opere vel furto simul facto, *l. semper 15. §. si in sepulchro D. Quod vi aut clam. l. vulgaris 21. §. si duo D. de furt. l. ita vulneratus § 1. in fin. D. ad leg. Aquil.* Verum postrema species nihil*

ad præsens institutum : nec propriè duo rei sunt, quos tutela vel curatio obligat. In prima specie non impropriè duos reos agnoveris.

I V.

Porro stipulatione duo rei credendi fiunt, cum duobus separatim stipulantibus ita promissor respondet: *Vtrique vestrum dare spondeo*. Promittendi, cum interroganti, *Titii, x aureos dare spondes? Mavi, eosdem decem aureos dare spondes?* uterque separatim respondet, *Spondeo*. *pr. inst. h. tit. l. 4. D. eod.* Sed quæritur, an intervallum inter Titii Maviique responsionem intercedens vitiet obligationem? Negat Ulpianus *l. 3.* Affirmat Iulianus *l. 6.* Venulejus *l. 12. D. h. tit.* Nulla hic dissensio est. Vide *Ronchegal. in d. l. 3. § 6.*

V.

Neque solùm stipulatione dandi duo rei fieri possunt, sed & stipulatione faciendi; veluti, si à duobus fabris ejusdem peritiæ easdem operas stipuleris *l. 5. D. h. tit.* Quo casu licet fictionem nonnulli intervenire putent, ut eadem res in obligatione esse videatur, *Schneid. ad pr. Inst. h. tit. n. 9.* non tamen responso I Cti. id satis convenire videtur.

V I.

In universum autem ut duo rei promittendi fiant, requirimus primò, ut exprimatur, singulos in solidum teneri *nov. 99. cap. un.* cum olim sufficeret id agi à contrahentibus *l. 4. § 8. D. h. tit. Cujac. in d. nov. Diss. Schneid. pr. Inst. h. n. 12.* Itaque si tres caverint instrumento, se pecuniam accepisse, non sunt plures rei debendi *l. 5. C. si cert. per. l. reos 11. §. ult. D. h. tit.* Estque rectissimè pro regula traditum : In dubio non præsumi duos reos, sed singulos pro parte virili obligatos. *Ronchegal. in d. §. ult. n. 16. & seqq. Pyr. h. tract. de fidejuss. part. 2. sect. 6. cap. 4. n. 17. Afflict. decis. 215. Cypre. decis. 18. n. 3. & dec. 180. n. 1. & 2.*

V I I.

Loquitur autem *d. nov. 99.* de duobus reis debendi: igitur ad duos reos credendi non est producenda : singulis solidum debetur, si hoc actum, licet non expressum sit *arg. l. præcipimus*

32. in fin. C. de appel. Ioan. Fab. ad auth. hoc ita C. h. tit. Ritters hu. part. 3. novel. cap. 6. n. 12. Sed nec ad omnes reos debendi pertinet: non certè ad eos, qui testamento constituuntur d. nov. 99. verb. sumat. & verb. conventionem. Mollet. 5. semest. 62. An ad exercitores? Verius est, ne ad hos quidem pertinere.

V I I I.

Secundò requiritur, ut uterque reus obligari possit: nam si, verbi gratia, stipuleris à Titio & pupillo absque tutoris auctoritate, solus Titius tibi obligabitur. l. his verbis 8. l. si ex duobus 12. §. 1. D. h. tit. junct. l. in personam 30. §. 1. D. de pact. Aliquando & neuter condemnabitur, si nimirum in fraudem juris conreus adsumtus sit, arg. l. 7. §. sed Iulianus D. de SC. Maced. Argent. ad cons. Brit. art. 464. glos. un. in fin. Confer Robert. 2. rer. jud. 5. quæst. 2.

I X.

Tertiò, ut par sit utriusque obligatio. Itaque & res eadem debet esse in utraque obligatione, & quantitas, & eadem doli culpeque præstatio l. 2. l. 3. in fin. l. eandem 9. pr. & §. 1. l. ult. D. h. tit. Disparitas verò temporis & loci non vitiat obligationem; ut si alter purè, alter in diem vel sub conditione obligetur. Si alter ex Asia, alter ex Africa centum se daturum Capræ spondeat l. ex duobus 7. & d. l. 9. §. ult. D. h. tit.

X.

Quantum ad reos stipulandi attinet, sufficit hoc inter contrahentes actum esse, ut utrique solidum debeatur, etsi verbis non sit expressum. Uterque tamen jus stipulandi habere debet: utrique eadem res promitti. Itaque non solum inanis est conventio, si alteri v. alteri x. promittas: sed etsi utrique usum fructum, qui non potest esse idem in utriusque persona, vel utrique dotem sponderis l. si id quod 15. D. h. tit. l. stipulatio ista 38. §. sed si quis uti frui 12. D. de V. O. l. 4. in fin. D. de novat.

X I.

Quantum ad effectum, si duo sint rei credendi, singulis solidum debetur. Itaque petitione unius jus alterius perimitur l. 2. l. 3. in fin. D. h. tit. §. 1. Inst. cod. Sed quæritur, an quod unus

exegit, id communicare conreo teneatur? Si locii sint, aut hoc inter eos actum fuerit, tenetur: sin minus, non tenetur. *l. in lege 62. D. ad leg. Falcid. junct. §. si quis alii Inst. de inut. stipul.* Ita malumus, quam cum Gomezio & aliis distinguere inter conreos ex causa onerosa & conreos ex lucrativa Gomez. 2. *resol. 12. in fin.* Neq; probo quod Ronchegallus tradidit, *ad l. reos 11. n. 76. h. tit.* et si neque societas, neque pactio intervenerit, officio tamen iudicis conreo subveniendum esse.

X I I.

Queritur etiam, cum debitum unus petit, an cavere teneatur, se defensorum debitorem adversus petitionem alterius? Affirmant nonnulli, *per l. fideicommissa 11. §. sic eveniet 21. D. de leg. 3. Schneid. ad §. 1. Inst. h. tit.* Verum ex adducto juris capite non rectè hanc cautionem commenti esse videntur. Actionem sanè ei qui solidum solvit, adversus conreum promittendi cedere debet *l. cum apparebit 47. D. locat. d. nov. 99. cap. 1.*

X I I I.

Quæ solutionis, eadem est acceptilationis ratio: unus enim accepto ferens promissori, totam obligationem perimit *d. l. 2. D. h. tit. l. & per iurandum 13. §. ult. D. de acceptil. l. si rem 31. D. de novat.* Nec diversa est jurisjuradi ratio, si debitor uno deferente juraverit se dare non oportere *l. in duobus 28. pr. D. de iurej.* Pactum verò unius alteri neq; nocet, neq; prodest: idq; siue locii sint, siue locii non sint *l. si unus 27. pr. D. de pact.* Nec adversatur *l. si duo 34. D. de recept. l. 5. D. Si quis caut. jud. sist. Cujac. in d. l. si unus. Pac. cent. 3. antin. 18. Borch. de pact. cap. 2. divis. 3. n. 18. Lud. Charond. 1. decis. 21. concil. 6. Diss. Donel. ad tit. C. de duob. reis cap. 5. n. 1. & 6. Confer Conna. 6. com. 5. n. 12. & seq.*

X I V.

An novare unus obligationem potest? Ait Venulejus in *l. si rem 31. §. si duo D. de novat.* Negat Paulus in *d. l. si unus 27. D. de pact.* Agnoscit pugnam Faber 11. *conject. 18.* Zasius in *d. l. si unus.* Cujac. in *d. l. si unus & lib. 22. obs. 6.* qui tamen duo Venulejam sequuntur. Conciliationi student Donellus *ad tit. C. de duob. reis cap. 5. n. 6.* Pacius 1. *antin. 96.* Robert. 1. *sent. 25.* Illi qui-

quidem distinguendo; Robertus verò emendando. Nobis ex primo ordine Zazius & Cujacius placet: ex secundo Pacius. Robertus omninò displicet.

X V.

Quantum ad reos promittendi, hi solidum singuli debent: sed ex *d. nov. 99. cap. 1.* beneficium divisionis habent, si uterque prælens & solvendo sit. Ita rectè *d. nov.* plerique Dd. intelligunt. Vide *Cujac. ibid. Duar. ad h. tit. cap. 2. & ad l. si ex toto 8. §. si ita scriptum D. de leg. 1. Giph. ad l. 2. C. h. tit. Myns. Schneid. & alios ad §. 1. Inst. eod. VVurms. tit. 28. obs. 13. Zanger. de except. part. 3. cap. 19. n. 14. Diss. Donel. ad auth. hoc ita C. h. tit. Borch. d. loc. n. 16. Bronch. cent. 2. aff. 96. Gudel. 3. de jur. novis. cap. 11. in fin.*

X V I.

Actionem reorum credendi non dividit *d. nov. 99. Schneid. ad d. §. 1. Inst. h. tit.* Nec creditor ipse divisisse actionem censeatur, si ab uno partem exegerit, sed si à singulis *l. reos 23. C. de fidejuss. l. 3. l. reos 11. pr. D. h. tit. l. si ex toto 8. §. 1. D. de legat. 1. Ronchegal. ad l. 3. vers. utique D. h. tit. n. 19. Hart. Pist. 1. quest. 9. n. 1. Robert. 4. rer. jud. 7. Saxon. ad cons. Turon. tit. 20. §. 4. glos. 2. Tuld. ad h. tit. C. n. 3. Diss. Thoming. decis. 47. n. 9. & seqq.* Sed nec ad conreos ex testamento beneficium divisionis pertinet. *Moll. d. lib. 5. semest. 62. Roncheg. in d. l. 3. §. 1. n. 128.* Nec ad exercitores ex contractu magistri obligatos *Roncheg. d. loc. n. 95. & 96.*

X V I I.

Fingamus unum ex duobus reis debendi solidum solvisse, an repetere partem à conreo poterit? Non aliter, nisi socii sint, aut ita convenerit, aut actio ei à creditore cessa sit. *d. nov. 99. d. l. in lege. 62. D. ad leg. Falcid. Faber. d. lib. 11. conject. 17. Cujac. d. nov. 99. Diss. Roncheg. ad l. reos 11. n. 40. & 47. Giph. ad l. 2. C. h. tit. Gomes. d. cap. 12. n. 3. Moz. tract. de stipul. cap. Qui pos. stipulari n. 19. Peref. ad h. tit. n. 12. & seq. quorum alii officio judicis, alii actione negotiorum gestorum, conreo subveniendum putant: alii inter causam onerosam & lucratiyam distinguunt.*

X V I I I.

Porro sicut solutio unius, & acceptilatio prodest utrique

d. l.

d.l.2. D. h. tit. d. §. 1. Inst. eod. ita etiam jusjurandum, si alter de-
 ferente creditore juraverit, se dare non oportere d.l.28. §. ex
 duobus D. de jurej. & conventio unius interrumpit præscrip-
 tionem utriusque: sicut & contra interruptio ab uno reo stipu-
 landi facta utrique prodest l. ult. C. h. tit. Mora verò unius alte-
 ri non nocet l. mora 32. §. pen. D. de usur. l. in condemnatione 173.
 §. unicumque D. de R. I. An pactum unius alteri prodest vel no-
 cet? Ait l. idem in duobus 25. D. de pact. l. pen. D. h. tit. Neg. l. quo
 estela 73. §. ult. de R. I. l. si unus 27. §. ante omnia D. de pact. l. si duo
 34. D. de recept. Conciliationis fundamentum non male peti-
 tur ex l. fidejuss. 23. D. de pact. Cujac. in d. l. fidejuss. 23. Hotom. in
 d. l. 25. Conna. 6. com. 5. n. 11. Roncheg. ad l. 9. §. sed. si quis D. h. tit.
 n. 35. Confer Donel. ad h. tit. Cod. cap. 9. & cap. 7. n. 4.

X I X

Compensatio quoque vice solutionis cedit: l. 4. §. soluisse D.
 de re judic. l. 4. C. de Compensat. num ergò alter ex reis debendi
 conventus compensatione objicere poterit ejus summæ quæ
 creditor conreo debet? Nō potest, nisi focii sint. si duo. 10 D. h.
 tit. l. ejus quod 9. C. de Compensat. l. in rem suam 18. §. 1. D. eod. Ne-
 que interest quantum ad focios, utrum focii omnium bono-
 rum, an certæ rei vel negotiationis fuerint. Roncheg. ad d. l. 10.
 n. 11. Adde Duar. ad h. tit. cap. 2. Rittersh. d. cap. 6. n. 6.

X X

Si alter ex reis debendi in insulam deportetur, alter obli-
 gatus manet: si moriatur, heres ejus in obligatione succedit l.
 ult. D. h. tit. l. quoties 14. §. 1. D. de novat. Quod si reus conreo
 debendi heres existat, utraque obligatio manet, nec tollitur
 altera confusione l. si reus 13. D. h. tit. l. si duo 63. §. 1. D. de solut.
 & liberat. Idem si reus stipulandi heres extiterit conreo. d. l.
 93. pr. l. 5. in fin. D. de fidejuss. Quid si creditori unus ex reis
 debendi, vel huic creditor heres extiterit, an confunditur ob-
 ligatio? Non omninò l. Gravius 71. D. de fidejuss. Vide Roncheg.
 ad d. l. 13. n. 15. & seqq. Duar. ad h. tit. cap. 2. Moñ. d. cap. Qui pos-
 stipul. n. 22.